

Unde per Illyricas genti celeberrima gentes

Fama stat a priscis didita semper avis.

Cum magnis Elaphis tenuisset classibus aequor

Insula utroque olim nobilis Oceano,

Dives opum, dives praeclarae gentis alumni, 55

Cum regno incolumis staret Hibera domus;

Tunc qua Sol oritur, quaque altis mergitur undis,

Ultimo odoratae a limine Taprobanes

Ignotas usque ad nemorosae Atlantidos oras

Omnis Elaphiti sunt freta pulsa rati. 60

Quicquid Arabs, quicquid molles misere Sabaei,

Decolor atque Indus, Memnoniaeque domus

Gemmiferi Gangis, Nilique Aegyptia tellus,

Rursus et occiduis quicquid ab Oceani

Littoribus trans et Tartesia littora, et agros 65

Submittit Liguri terra reperta viro,

Omne id Elaphisin ponto vectare carinis

Dextra dedere sui numina Mercurii.

Institor a parva Batavus statione locorum

Haud aliter toto velificare mari 70

Audet adhuc, opibusque novas super addere structis

Omnia quaesitas per freta divitias.

Fortunata Elaphis nimium, si littora numquam

Nosset arenosis Carolus Afra vadis!

Filius aut ni animos Anglae tentasset Elisae! 75

Heu tibi quid potuit tunc superesse animi,

Ingenti cum his jacuisti vulnere victa,

Elaphis, heu lecta pube minuta virum!

Et tua vesanas omnis cum gaza per undas